

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Obedientia x  
cum fonte primo

Imponitur nomen obediencie  
precepto, facto et loco ut designet  
quid precipitur, monstret quod agitur,  
nominet locum in quo quis moratur;

prima facilis, secunda grauis,  
tercia ad utrumque se habet.  
Leue est enim precipere  
sed graue est adimplere. Locus uero  
aliquando placet, aliquando displicet;  
placet quibusdam non quia  
habundat fratribus sed quia piscibus,  
placet quia habundat famulis et fabulis,  
placet quia solus cuncta possidet, et sic  
fit ut uocetur obediencia cum non sit.  
Hanc obedienciam multi desiderant ut  
extra obedienciam esse queant.

Hugo ibidem (de duodecim  
abusionibus).

Imponitur enim nomen obedientiae,  
praecepto, facto et loco, ut designet  
quod praecipitur, monstret quod agitur,  
nominet locum in quo quis moratur.

De praecepto enim dicitur, injungit ei  
obedientiam; de facto, complevit eam;  
de loco, apud illam moratur obedientia,  
cum aliquam remotam seruat villam aut  
cortem.

Prima est facilis, secunda gravis,  
tertia ad utrumque se habet.  
Leue enim est praecipere,  
sed labor est implere. Locus uero  
aliquando placet, aliquando displicet.  
Placet quibusdam, non quia  
abundet fratribus, sed piscibus.  
Placet, quia famulis abundat et fabulis.  
Placet, quia solus cuncta possidet; et sic  
fit, ut uocetur obedientia cum non sit.  
Hanc obedientiam multi desiderant ut  
extra obedientiam esse queant.

Hugo de Folieto, *De claustro animae  
libri quatuor*, 2, 13 (PL 176, col.1061D-  
1062A).